Vladislaus Quartus Dei gra Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russ. Pruss. Masoviae,
Samogitiae Livoniaeq. necnon Suecorum, Gottorum Vandalorumq. haeredus Rex, Electus Magnus Dux Moschoviae.

Universis et singulis Principibus Ecclesiasticis et Secularibus, aliisq. omnibus in quacunq. dignitate existen. seu aliquo publico munere vel Magistratu fungentibus, eorumq. loca tenen. necnon Teloneorum, passuum, viarumq. publicarum Administratoribus amicis et vicinis Nris salutem et benevolentiae Nrae significationem. Proficiscitur curandae valetudinis causa in Germaniam, aliasq. Christiani Orbis partes Illris et Magcus Thomas in Zamoscie Zamoiski Comes de Tarnow, Vice Cancellarius Regni Nri, Gnalis Cracoviensis, Knyszinensis, Rabstinen. Sokaliensis Administrator, vir bello paceq. clarus et eo genere, ea virtute spectatus, ut iure omnium Principum favorem, atq. humanitatem mereatur. Quam ut illi ubiq. locorum, per quae eum transire, in quibusq. immorari contigerit exhibeatur, ipseq. cum familia et comitatu liber ac tutus transitus, commorandiq. pro libitu potestas, sine ullo pestiferi aeris, aut sinistrae suspitionis, qua a tanto viro procul abest, metu praestetur ab omnibus pro iure vicinitatis, sanguinis, atq. amicitiae benevole postulamus. In cuius rei fidem praesentes manu Nra subscriptas Sigillo Regni communiri iussimus. Datum Varsaviae die XVIII Mensis Maii Anno Dni MDCXXXIII Regnorum Nrorum anno Primo.

Vladislaus Rex

Jres Lipski Rfs

Passport d'un

Paspot Domanewi dany Thamu 1[illegible]
fer[illegible]